



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XXX. De Congregatione pro consultationibus negotiorum status
Ecclesiastici, quæ consusta dicitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

inde debent ad Pontificem, ut pro illius arbitrio in Consistorio Secreto juxta formam consuetam proponantur.

CAPUT XXX.

De Congregatione pro Consultationibus negotiorum Status Ecclesiastici, quæ Consulta dicitur.

1. *Instituta à Sixto V. aliam nunc formam habet.*
2. *Qui constituent hanc Congregationem.*
3. *Quod sit Officium Prælatorum, & Præfecti.*
4. *Ubi & quando habeatur Congregatio.*
5. *Quod sit officium hujus Congregationis.*
6. *Potest pœnas injungere & mitigare.*
7. *Est Tribunal seculare.*
8. *Ad quæ loca extendat se facultas hujus Congregationis.*
9. *Omnia gratis expediuntur.*

I.

Inter cæteras Congregationes, quas instituit Sixtus V. in Constitutione sua

74. *Immensa*, erexit & hanc ibidem in ordine decimam & ultimam pro consultationibus negotiorum Status Ecclesiastici; Sed aliam hoc tempore formam habet, quam quæ in dicta constitutione describitur.

2. Nunc enim constituta est ex magno Cardinalium numero, ut, si quidam forte impediuntur, alii sat multi interesse Congregationi possint; Ex Secretario, qui Prælati esse solet magna prudentia, plurimoque usu atque exercitatione præditus; Ex Advocato Fisci & Procuratore Generali in criminalibus, qui Fiscalis Urbis per antonomasiam dicitur. Demum ex aliis quamplurimis Prælati jam longa experientia & in publicis muneribus exercitis, qui omnes una cum Cardinalibus votum habent decisivum.

3. Horum Prælatorum officium est acta, quæ à Gubernatoribus & locorum Præsidibus prolixa valde ad Congregationem ut plurimum mittuntur, relegere, ex iisque in cœtu contenta referre; Ut vero dispertitum sit onus & officium, cuique sua attributa est Provincia, quæ vulgo dicitur *Ponentia*, cujus causas & negotia examinanda suscipit, Præfectus
Con-

Congregationis est Cardinalis Superintendens Generalis, qui literas & mandata subscribit, quæ dantur Gubernatoribus, Præsilibus, aliisque Officialibus.

4. Habetur hæc Congregatio in Palatio Apostolico bis singulis Septimanis diebus Martis & Veneris ante meridiem, neque eam ulla Festi celebritas aliusve casus aut tempus impedit excepto die ultimo Antecineralem & Veneris Sancto, seu Passionis Domini. Hinc cum nec tempore Sedis vacantis intermittatur Congregatio, soli Prælati cæterique supranominati Officiales, dum Cardinales inclusi sunt Conclavi, conveniunt, & negotia expediunt, graviora tamen per Secretarium ad tres Cardinales, qui capita Ordinum dicuntur, vicesque totius Collegii explent, deferre solent.

5. Præcipuum hujus Congregationis Officium est consultationes, dubia & querelas, etiam subditorum adversus Gubernatores & Præsides, eorumque Locumtenentes, Notarios & alios Officiales super causis civilibus, criminalibus, ac mixtis ad forum sæculare spectantes audire, easque inter se conferre, & quod æquum fuerit de majoris partis sententia expedire, & executioni

ni

ni tradi curare. Ideoque facultas illi concessa est omnia negotia causasque cujuscunque generis illæ sint, etiam coram Magistratibus & Ministris in Statu Ecclesiastico introductas & pendentes, ab eisdem, ubi ratio postulaverit, avocandi, aliisque Judicibus committendi.

6. Potest hæc Congregatio injungere multas bonorumque proscriptiones, & corporis, etiam capitis ultimi supplicii pœnas (consulto tamen Pontifice) moderari, & in alias commutare, atque etiam carceratos de loco in locum transferre, aliaque pro justitiæ conservatione ordinare *Sixtus V. l. c.*

7. Dicitur Tribunal hoc merè sæculare, licet id constituent personæ Ecclesiasticæ, quia negotia solum tractat sæcularia, & vices gerit Pontificis tanquam Principis sæcularis; ideoque si negotia occurrant, quæ ex una parte concernant Clericos & Personas Ecclesiasticas, adeoque causa remittenda esset ad forum dignius Ecclesiasticum, dat Pontifex potestatem committendi totius causæ cognitionem Governatori.

8. Extendit se facultas hujus Congregationis ad universum Statum Ecclesiasticum immediatum, etiam Civitatem Bene-

Beneventanam ; Excepta Urbe Romana, in cuius causis se non ingerit, cum suum habeat Governatorem, qui negotia, quæ in eâ occurrunt, confert cum Pontifice. Neque immiscet se in negotiis illarum Provinciarum & Civitatum, quæ Cardinales habent Legatos, ut sunt : Avenionensis, Bononiensis, Ferrariensis, Urbinatensis & Æmilia, seu Romandiola.

9. Omnia omnino gratis in hac Congregatione tractantur & expediuntur, & licet Prælati qui in hoc Tribunali operam suam impendunt, magnis laboribus & studiis negotia huc spectantia peragant, nullum tamen stipendium, aut emolumentum etiam quod muneris loco solummodo offerretur, admittunt.

De Luca Rel. Rom. Cur. disc. 25.

CAPUT XXXI.

De Congregatione super bono Regimine Communitatum Status Ecclesiastici.

I. Clemens